



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

cohibuerunt. Usque adeo probi omnes nuptias Clericorum execrabantur. Hodieque, nullus dubito, si quis Presbyter horrendum matrimonium moliretur, gravissimas poenas in utroque foro dare cogeretur.

§. XIV.

Latrocinia inter populares ferme *Bella Civilia.* perpetua barbararum gentium e Septentrione advectarum tristia erant vestigia. Tanti mali originem, Ludovico pio segniter imperante, notavi, & progressum sub ejus Successoribus retuli. Sane obstupescendi locus est, quod homines Christianam fidem professi prima Religionis vitæque civilis elementa ignorarent, & licitum sibi crederent, arma in cives sicut in hostes externos arripere. Civilis societatis fundamentum est & ratio primaria, vi & armis rejectis, legibus se subjicere & arbitrio Judicum, qui leges custodiri curent; Christianæ vero Religionis principium & finis est charitas, quæ non solum proximo suo ullum malum inferre prohibet, sed etiam omne bonum, quod possumus
exhi-

Hist. l. LIX.
§. 38.

exhibere, jubet. Quid ergo de Christianis sentiendum, quamcunque injuriam, quam a fratribus suis accepisse putarent, cædibus & incendiis ulcisci semper paratis, & justitiam non a Judicis sententia, sed ab acie gladii sui expectantibus?

Legisti, amice, frequentissimos questus & hortatus, adversus grassatores in Conciliis Episcoporum & Procerum occurrentes. Novum illorum temporum ignorantiae argumentum! nam simplices certe esse oportebat, qui credebant, scriptis exhortationibus, aut Doctrina ex Sacris paginis vel Patribus recitata, arma e manibus furiosorum bello & cædibus assuetorum excuti posse. Sed necessaria & efficax medicina fuisset, Regia auctoritate novas Leges condere, quibus olim Græci Romanique & omnes gentes politiores utebantur. Sed ubi illa ætate Legislatores invenire fuisset, quorum sapientia ad ejusmodi Leges instituendas, & eloquentia vel potestas ad easdem stabilendas suffecisset.

Inte-

Interim Ecclesiæ Disciplina peribat, & mores Fidelium magis magisque pervertebantur. Viri nobiles, in Arcibus & Munimentis suis residentes, Ecclesias doctrinam Episcopi audituri non adibant. Ad Monachos in vicinis monasteriis officium Divinum peragentes se conferebant, aut satis ipsis erat Capellanorum suorum, vel Parochorum, Vasallis suis præpositorum, Missis interesse, quos putabant suo arbitrio in officio confirmari vel dimitti posse. Quin etiam decimas aliasque Ecclesiarum redditus ad suum trahebant ærarium. Episcopis nec illos Presbyteros errantes corrigere, multo minus ipsos Optimates, ut Episcopos decet increpare, nec Dioceses visitare, nec ad Synodum celebrandam congregari licebat. Quin sæpe ad arripienda arma, quibus se & agros Ecclesiæ adversus Optimates invasores defenderent, compellebantur.

§. XV.

Simoniam quoque ignorantia par- Simonia.
tum illis sæculis omnino fuisse arbitror.